



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 90119266**

§. 54. Petri Coddæi olim Sebasteni Archiepiscopi obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

impeti, ut sibi molestia fieret, vinctasque Sæc. XVIII.  
eis daturum manus, si approbationem A.C. 1710.  
suam retractare vellet: insuper literas ad  
Mentoniam die undecima Maij de-  
dit, in qua se quidem cessurum polli-  
cebatur, suos tamen hostes, ac præ-  
cipue Michaelem Tellierum, ceteros  
que Jesuitas, qui eum multo abhinc  
tempore insectantur, & quovis pretio  
eum perdere moliuntur, minime cessa-  
turos, nisi ipsis a Rege silentium im-  
ponatur: Non deerant etiam ex præ-  
cipuis Regni Episcopis, qui Noaillium  
ad vindicandum suum honorem inci-  
tarent, & quidem inter alios Agen-  
nensis die decima quarta Maij in suis  
literis utriusque Episcopi instructionem,  
agendique rationem parum Christianam,  
*Ecclesiæ spiritui, disciplinæ, Sacris Ca-*  
*nonibus, Charitati & unioni contrariam*  
appellans exclamavit: *Pudeat Episco-  
pos, quod pro Instrumentis deserviant Je-  
suitarum passionibus; alias hos duos Epi-  
scopos vocavit venales, temerarios, &  
calumniatores, alias vero Vapicensem  
Episcopum pro hypocrita, versipelle &  
ambitioso habuit.*

## §. LIV.

*Petri Coddæi olim Sebasteni Archiepi-  
scopi Obitus.*

Q. 3.

In eun.

Sæc. XVIII  
A. C. 1710

*Vid. supra*  
t. 67. p. 3.  
*Hist. Ecccl.*  
t. 13. p. 5033.  
*Acta Histórico - Ecccl.*  
t. 7. p. 103.

Ineunte Mense Januario Petrus Codæus Sebastianus Archiepiscopus, & Hollandicæ Missionis Vicarius Apostolicus in gravem morbum inciderat, de cuius fatis, & orthodoxia jam supra mentionem fecimus: Quamprimum ergo Joannes Baptista Bussi Coloniensis Pontificius Nuntius eum gravi morbo, non sine imminentि vitæ periculo detinere compererat, id quantocius Romanus perscripsit, ac interim Auditorem suum Alexandrum de Borgia unacum literis ad resipiscentiam hortantibus, Trajectum decrevit, qui Coddæum ad Alexandri VII. formulam juramento firmandam induceret: Verum hic Prelatus ore & calamo profitebatur, quod „quidem quinque propositiones in omnibus sensu, quo eas Ecclesia damnavit, in quocunque libro, etiam in Jansenii libro, si ibi revera continentur, semper damnaverit, & damnet, nihilominus, haec propositiones in hoc libro continentur, se dubitare, sincere fateretur. Quoniam vero id mere quæstionem facti complectatur, proin nunquam ad fidem pertinere crederet, vel haec resis materiam efficere posset, horumendi sacrilegii sese reum faceret, rem sibi dubiam invocato Dei nomine assereret, ac propterea formula subscribere non posset, ne conscientiam

,tiam suam abominabili perjurio macu- Sæc. XVIII.  
 ,laret: Noluit etiam eadem ex ratio- A. C. 1710.  
 ,ne sententiam contra sua scripta Ro-  
 ,mæ pronuntiatam approbare: testa-  
 ,batur tamen, quod propter hanc quæ-  
 ,stionem Ecclesiæ pacem perturbare  
 ,nolit, eoquod ab obsequio sacræ Sedi  
 ,debito recedere semper abhorruisset,  
 ,omnique pietate ac religione eandem  
 ,Sedem usque ad extremum vitæ hali-  
 ,tum veneraturus, in Ecclesiæ commu-  
 ,nione vivere ac mori desideraret.,  
 Hanc fidei suæ declarationem Cod-  
 dæus paucis ante obitum suum diebus  
 scriptotenus ad Coloniensis Nuntii Au-  
 ditorem transmisit. Postquam vero  
 Pontifex obfirmatum Coddæi animum  
 non sine mærore perceperat, totum ne-  
 gotium Sacræ Inquisitionis Congrega-  
 tioni discutiendum commisit, quæ etiam  
 hoc anno die trigesima Decembris  
 Nuntio Apostolico, quid sibi agendum,  
 si Coddæus in sua pertinacia decede-  
 ret, interroganti respondens, re ma-  
 ture discussa censuit, eidem Episcopo qua-  
 tenus sine debita pœnitentia discesserit, aut  
 decedat, deneganda esse a Christi fidelibus  
 solita suffragia, tanquam notorie inobe-  
 dienti & refractorio Constitutionibus &  
 Decretis Apostolicis, & privandum esse  
 Ecclesiastica sepultura: Hoc decretum  
 postea Pontifex approbavit, quampri-

Q 4                          mum

Sæc. XVIII. cum vero per eundem Nuntium Roma  
A. C. 1710. innotuit, Coddæum die decima octava  
Decembris hujus anni non immutata  
animi sui sententia obiisse, mox eadem  
Sacra Congregatio sequens edidit de-  
cretum: *Cum vero postmodum Sacrae Con-  
gregatiō nuntiatus fuisset infelix ac unde-  
quaque deplorabilis ejusdem Episcopi obi-  
tus - - eadem S. Congregatio die decima  
quarta Januarii Anno 1711. re iterum  
mutare discussa, quamvis non sine maxima  
omnium Eminentissimorum Patrum dolor  
censuit, supradictum decretum die trigesima  
Decembris Anno 1710. editum, esse ex-  
quendum, & per eundem D. Nuntium non  
tam ad damnandam defuncti memoriam,  
quam ad aliorum contumaciaꝝ ac refrariorum  
exemplum & admonitionem, ut  
tremendi judicii Dei memores saluti anima-  
rum suarum opportune consulant, omnibus  
per Hollandiam Catholicis significandum  
esse &c.* Die autem decima quarta Ja-  
nuarii Pontifex speciali edicto pro ani-  
ma hujus defuncti in Ecclesiis preces  
fundi prohibuit, eoquod formulario  
ante mortem subscribere noluisset, quam-  
vis ceteroquin Jansenii propositiones  
pro damnatis habuisset.

§. LV.